

## FRATRES ILLITTERATI CONVERSI. 493

stituit, veritus, ne ius canonicum vilesceret, quum omnes studiosi ad civile recens digestum sese conferrent, ut Pagius in annales Baronii ad an. 1151. adnotavit. Bulæus in sæpe laudata historia Univerf. Parif. pluribus profequitur Graduum academicorum circa hæc tempora originem, Petro Lombardo in theologia Parifis exemplum Gratiani secuto.

SECVLUM  
XII.  
T. II. p. 255.

Affert ibidem authenticam Friderici I. imp. an. 1151. in gratiam & favorem scholarium in studiis generalibus litteras colentium, maxime scripturarum divinarum atque sacrarum legum professoribus datam, ut scholasticos Italicos & Germanos propositis præmiis & privilegiis in sua patria retineret. Ut vero idem notat Bulæus, quicumque artes liberales & theologiam perfecte callere cupiebant, ad Parisiensem confluebant academiam, & qui iuris utriusque notitiam ac scientiam in ipso fonte haurire volebant, Bononiam frequentabant.

pag. 281.

Ibid. p. 577.

Inter alias vero curas, quas Romani pontifices impendebant, ne invalescens iuris civilis professio a theologiae cæterarumque disciplinarum scholis studiosos avocaret, etiam connumerat Bulæus, quod sub interminatione excommunicationis interdicerent, ne religiosi, aut alii quoque presbyteri & in dignitatibus ecclesiasticis constituti, ad audiendas leges & medicinam admitterentur; qui nempe erant duo ordines facultatesque academicæ profanæ, uti ius canonicum & theologia ecclesiasticæ. Quoad regulares cautum id est canone octavo concilii Turonensis an. 1163. iuxta decretum concilii Lateranensis II. an. 1139. in quo cap. 9. prava notatur & detestabilis consuetudo, quæ inolevit, *quoniam monachi & regulares canonici post susceptum habitum & professionem factam, sprete beatorum magistrorum Benedicti & Augustini regula, leges temporales & medicinam gratia lucri temporalis addiscunt.*

Concil. Libb.  
T. X. p. 1004.

LXXX. Indicavimus libro superiore exortum seculo XI. novum quoddam monachorum illitteratorum genus, quod duplex fuisse medio hoc ævo, monumenta nostra produnt, ac apte distinguit auctor vitæ S. Bertholdi abbatis Garstensis, quem e S. Blasio evocatum disciplinam San-Blasianam in Styriam invexisse supra vidimus. Apud Garstenses igitur sub Bertholdo patre obedientiarum officia per illitteratos monachos & fratres barbatos erant disposita, litterati vero & sacro ordine sublimati divinis officiis tenebantur implicati. Singulis obedientiis bini præerant fratres tam propter testimonium, quam propter solatium. Obedientiæ sunt cellæ separatae monachorum, aliaque extra claustrum monachorum loca, unde etiam priore libro notavimus fratres interiores & exteriores; hi servilia extra claustrum obibant munia.

Fratres illite-  
rati, conversi,  
barbati.

Hier. Per.  
Script. Rev.  
Aust. T. II.  
pag. 94.